

Dum Oratio prima dicitur, inclinent se Fratres profunde; vel etiam se prosternant, si ea die in Choro factæ fuerint prostrationes.

Pro Episcopo vel Sacerdote defuncto.

Oratio.

**D**EUS, qui, inter apostólicos Sacerdótes, fámulum tuum Pontificáli (vel Sacerdotáli) fecísti dignitáte vigére & præsta, quæsumus, ut eórum quoque perpétuo aggregétur consórtio :

Pro Viro defuncto.

Oratio.

**I**NCLINA Dómine aurem tuam ad preces nostras, quibus misericordiam tuam súpplices deprecámur : ut ánimam fámuli tui, quam de hoc sǽculo migráre jussísti, in pacis ac lucis regióne constitúas & et sanctórum tuórum júbeas esse consórtem :

Pro Femina defuncta.

Oratio.

**Q**UÆSUMUS Dómine, pro tua pietáte, miserére ánimæ famulæ tuæ : et a contágiosis mortalitatis exútam & in ætérnæ salvatiónis partem restítue :

In omni Anniversario.

Oratio.

**D**EUS indulgentiárum Dómine, da animábus famulórum famularúmque tuárum, quorum anniversárium depositiónis diem commemorámus & refrigérii sedem, quiétis beatitúdinem et lúminis claritátem :

Pro Fratribus, Sororibus, Familiaribus et Benefactoribus defunctis.

Oratio.

**D**EUS, véniae largítor, et humánæ salútis auctor, quæsumus cleméntiam tuam : ut nostræ congregatiónis fratres, soróres, familiáres et benefactóres, qui ex hoc sæ-